



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 91. Obsequia capto Regi exhibita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI. Comes Sancti Pauli, & Fridericus de
A.C. 1525. Boffolo excubiis auro corruptis liberta-
 tem suam redemerunt: Fuxus vero Ma-
 rescallus & Sabaudixæ Nothus multis
 vulneribus confecti in carcere obierunt.
 At ex parte Cæsareorum non nisi septin-
 genti aut forte octingenti fuere desi-
 derati. Ceterum Theodorus Trivultius
 & Candiere, quos Trimollius Medio-
 lani reliquerat, unacum urbis præsidio
 secedentes, in Gallias reversi sunt.

§. XCI.

Obsequia capto Regi exhibita.

Ant. de Vera
hist. de Charl.
V. p. 112. Interim Franciscus I. potius veluti Rex,
 quam captivus habebatur, imo ipse
 etiam Piscarius, qui Gallici exercitus
 impedimenta ceperat, cuncta, quæ Re-
 gis erant, eidem restitui jubebat: Rex
 vero, quæ secum adhuc deferebat, mu-
 tatis vestibus, præcipuis Belliducibus
 dono dedit, & quidem Piscario Mar-
 chioni equi sui ephippium, frænum, ac
 breviora sclopeta donaverat. Vespere
 facto Rex publice cænabat, præci-
 puis tam Hispanis, quam Italis, & Ger-
 manis Belliducibus eidem inservienti-
 bus, quos Rex, ut & ipsi mensæ accum-
 berent, rogabat, quod tamen non nisi
 post iteratas preces ab eis obtinuit.
 Postera die Prorex Regem ad arcem
 longe

longe munitissimam, quam Picelonem ^{Sæcul. XVI}
vocant, abduci iussit, ubi etiam aliquam- ^{A.C. 1525.}
diu captus hæsit sub custodia Alarco-
nis Nobilis Hispani, qui tamen debito
eum honore prosequabatur.

§. XCII.

*Contentio de Senonensi Archiepisco-
patu ob unum a Capitulo electum,
alium vero a Regina nomina-
tum exorta.*

Eadem, qua Rex capiebatur, die, mor-
tuo Ponchero Præsule, Senonensis
Archiepiscopatus vacabat. Suffragan-
te concordati lege Ludoyica de Sabau-
dia Regis Mater, cui absens ejus filius
regni administrandi curam commiserat,
ad hanc Ecclesiam quemdam Præsule- ^{Pinso. p. 747.}
lem nominare voluit, inhibuitque, ne
Senonenses Canonici ad electionem ullo
pacto procederent. Hi autem insuper-
habito Reginae interdicto, conventuque
habito Joannem de Salazard elegerunt.
Regina honorem suum vehementer læ-
sum rata, supremo Senonum Præsule,
ut temporalia Capituli bona ærario ad- ^{1709. p. 107.}
diceret, præcepit, Regisque nomine
Antonium de Prato Regni Cancellar-
ium in Archipræsulem nominavit.
Verum hac de re querebatur Capitulum,

